



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Vera Sapientia**

**Pinamonti, Giovanni Pietro  
Segneri, Paolo**

**Coloniae, Anno M.D.CCVI.**

**VD18 12664146**

Peccamus in divino conspectu.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50782](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50782)

CONSIDERATIO II.  
PRO DIE LUNÆ.

Circumstantiæ, peccatum  
aggravantes.

PUNCTUM I.

Locus.

*Peccavimus in conspectu tuo. Esther.*

14. 6.

I. **C**onsidera locum, in quo peccasti. Peccasti quippe Deo præsente, & inspectante: Legem igitur infringis, & adest legislator; rides pœnas, & spectat Judex, conculcas sanguinem, pretium redemptionis tuæ, & videt Redemptor. Amicus esse renuis infinitæ illius Majestatis, idque non clam & verecundè, sed propalam & in faciem præeligens esse mancipium rebellis illius spiritûs, quocum in perniciem Dei conjurasti, ut tolleres coronam de capite ejus: verbo dico, quidquid dici potest horrendum & abominandum: *Peccasti, fecisti mala & potuisti*, Jerem: 3. Quod si Dæmon impulerit te ad peccandum imposte-  
rum,

rum, consilium meum audi, de loco saltè circumspice, quo Deum fallas, aliàs enim, ecquomodo satis animi tibi erit, patrandi in præsentia Dei, peccatorum vindicis, in oculis illius mundissimis; quomodo, inquam, animus tibi erit, patrandi flagitia illa, quæ me præsentem non auderes? aut minus forsitan est peccare inspectante Deo?

PUNCTUM II.

Tempus.

*Cum dilexisset suos.* Joann. 13. 1.

II. **C**ONsidera nunc etiam tempus, quo Deum offendisti. postquam nempe per sacrum baptisma in filium te adoptavit, postquam vitam pro te & sanguinem dedit, quò tu non amplius peccares; Post hæc tantæque motiva ipsum porrò non offendendi, offendisti tamen. Creavit te Deus ex mera sua bonitate, è tot millibus te elegit, qui, si fuissent conditi, ipsum fortè nunquam offendissent: creavit te in patria Christiana, ubi cum materno lacte sanæ fidei doctrinam hausisti, conservat te modò per momenta,  
pro-